

nexis et sequelis quibuscunque, et eadem et eius quibusvis articulis rationabiliter deriuari et oriri possibilibus, nostre maiestatis manibus, arbitrio, determinacioni et declaracioni omnimode submiserunt, assignarunt et ex vtraque parte manu tradiderunt. Nos itaque ex innata nobis indicione benignitatis, qua cunctorum nobis subiectorum paci et tranquillitati iugiter indefessum affectum solemus adhibere, cupientes partes inter predictas sanguinis et affinitatis uinculum, iure geniture affectum, concordij et mutui amoris indissolubilitate perpetua combinare, vna cum prenominationis Prelatis et Baronibus nostris vtriusque parcium premissarum allegationibus, responsionibus, probacionibus, iuribus, litteris, instrumentis auditis, uisis, intellectis et debita maturitate compensatis, predictis etiam ambabus partibus uolentibus, consentientibus et acceptantibus, ac infrascripta se presentialiter oretenus obligantibus, pro bono pacis et fraterni ac mutui amoris obseruacione, inter ipsas partes perpetuanda et iugiter seruanda, postergatis, remotis et amputatis omnibus iuris rigoribus, grauaminibus et censuris, que secundum Regni nostri legem et consuetudinem occasione premissorum ordinarie et iudicialiter persecutorum et deductorum oriri, sentenciari et pronuntiari potuissent, commisimus, ac arbitrarie sententialiter commisimus, composuimus et conclusimus in hunc modum: Quod licet prefatus Comes Vlrucus predicta iura sua materna modo antelato primum per olim antefatum quondam Comitem Nicolaum totaliter, et tandem per supranominatos filios ipsius parcialiter indebite occupata et detenta fore, nuncque per eosdem similiter detineri mediante potentia, in quorum omnium vsufructuum et prouentui percepcione predicta decem Millia florenorum auri, dampni percepisse in sui preiudicium allegauerit; tamen ex nostra dictorumque Prelatorum et Baronum nostrorum tranquilla et amicabile compositione presenti, ipse Comes Vlrucus de predicto facto potencie, in occupacione et detencione huiusmodi quomodolibet commisse, simul cum dictis decem Millibus florenorum auri, omnibusque aliis prouentibus, ex predictis iuribus suis maternis occupatis, per predictos Banos et alios Comites Segnie etc, et ad eos pertinentes hucusque perceptis, extractis, condescendendo, eosdem Johannem et Stephanum Banos, nec non Comites Segnie, fratres eorum prenotatos, eorundemque heredes, familiares et quoslibet ad eos pertinentes, pure et simpliciter liberos, expeditos et absolutos, reddere et committere, ipsi uero Johannes et Stephanus Bani ceterique Comites prenotati predictum Comitem Vlrucum in pacificum dominium et realem possessionem sepetacte medietatis insule Wegle ac omnium suarum pertinentiarum, nec non villa Birchopagh et ipsius vinee in Vinodolio, penes mare prope villam dictam Selce habita, per memoratum quondam Comitem Johannem aum ipsorum olim domine Katharine, auo ipsius Comitatus Vlruci, mediantibus suis litteris priuilegialibus, coram nobis productis, imperpetuate, omnique et singularum tenutarum pertinencium et contractorum Castrorum Cersach (sic), Bwcharij et Berberij, si quas fortassis ab eisdem retraxissent, occupassent seu impediussent, absque qualibet vltiori resistencia et contradiccione intromittere et imponere ac in eisdem et eorum dominio, et pacifica ac reali possessione, vsufructuacione, prouentuum et omnium vtilitatum integra percepcione, sub titulo et nomine ueri et iusti pignoris predictis triginta duobus Millibus florenorum auri permittere et possidenus manutenere et defendere teneantur tamdiu, donec easdem medietatem insule nec non Castra et villam supranominatas cum earum pertinencijs, iuxta contenta literarum et instrumentorum, superinde conscriptorum et confectorum, simul